



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Panegyricvs, Die Natali Academiae Theodorianae
Paderbornensis, Reuerendissimo, atq[ue] Illustrissimo
Principi, ac Domino, Theodoro, Episcopo Ecclesiae
Paderbornensis, S. R. I. Principi, Fvndatori Eivs ...**

Horrion, Johann

Paderbornæ, 1616

Capvt IX. Philosophia in Academijs non respuenda.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14243

set quisquam tam vacors, qui his hominibus, quicquam supellectilis, quod non proiectum, & perditum vellet, custodiendum prius daret, quàm essent omni pristinae aberrationis periculo liberati. Atque spectauimus quidem Lutherum, & Philippum nouo euangelio ebrios, non lances, & lectos, sed optima nostrorum instituta maiorum, & pulcherrima reipubl. vel ornamenta vel subsidia abijciantes. num illi admoniti penitus se ab illa insania remouerunt? an non quaedam eius notas est intueri? denique an non illa è nouo Euangelio profluxit? num igitur illa potest, nisi eo prorsus sopito, atque extincto, omninò conquiescere? Certè Erasmi, quem credo isti rectè de litteris existimare posse non diffitentur, hæc fuit sententia. Vbi regnat Lutheranismus, ibi litterarum est interitus.

[Lib. 19.
epist. ad
Pyrckheimerum.]

C A P V T IX.

Philosophia in Academijs non respicienda.

Verùm idjam non ago. satis mihi fuerit ostendisse eos manifestò sua confessione somniasse, qui Catholicis Academijs somnia obiectare non sunt veriti. Deinde non satis tutò ijs hominibus Academiarum curam committi posse, qui tam flagitiose delirarunt vt tanquam exitiosas Reipubl. damnerent, præsertim si nonnulla etiam in ijs tantæ dementiæ vsquam vestigia appareant. Dixi enim horum furorem, perinde vt illorum Agrigentinarum non simul totum esse compressum. Id vel ex eo constare potest, quòd etiam postquam Philippus à furno ad scholas redijt, tantisper honores Academici nemini more maiorum, mandati sunt, donec Ele-

[Tom. I.
fel. de-
clam. Phi-
lippi Or.
Iusti Io-
næ, & Viti
VVinse-
mij.]

nec Electoris imperio intermissus pluribus annis mos aliquando referretur. Sed videor mihi in Burenij quoque verbis quædam obseruare relictæ stultitiæ argumenta. Quid enim causæ censes esse, Princeps Illustrissime, cur Burenus nullam sua oratione Philosophiæ mentionem faciat? cur ante Theologiæ studium solas inferiores artes requirat? Nimirum talem Academiam moliebatur in Westphalia, cuiusmodi ex Lutheri præceptis, tunc institui poterat, cum tamenetsi de infinito illo Academiarum odio nonnihil remississe videbatur, tamen Philosophiam, præsertim Aristotelis, necdum concoquere villo modo poterat. Ita enim ille scripserat anno M. D. XX. in libro de reform. Reipub. Christianæ ad nobilitatem Germanicam. Suadeo, inquit, vt libri Aristotelis, Physicorum, Metaphysicæ, de Anima, Ethicorum, qui hæcenus omnium optimi habiti fuere, penitus aboleantur & exterminentur; cum omnibus illis, qui rerum naturalium explicationem & cognitionem se tradere profitentur: cum ex illis nihil vel naturalium, vel spiritualium rerum disci, vel doceri queat. Neque verò id postea mutauit. quamuis enim libellum composuit de instituendis scholis, tamen cum earum formam describit, multus ille quidem est in prædicando linguarum studio; de Philosophia restituenda nihil præcipit, vt satis appareat, nunquam cum eo in gratiã rediisse. Talis igitur, vt opinor, Academiæ speciem cum animo concepisset Burenus, quæ lustrum esset inscientiæ, non sapientiæ domicilium, præclare se meriturum de Westphalia sperauit, si eam huic genti cupidissimæ omnis liberalis eruditionis obtruderet. Num verò existimauit illam

illam VVestphalorum insignem discendi auiditatem, propter quam eorum maiores sæpè remotissimas nationes adierunt, modica cognitione linguarum, & paucis in aliquot scripturæ sacræ capita, non è veterum auctoritate, sed è nuper exorta disciplina petitis glossæmatis, expleri posse? Quid? nullumne vnquam crediderunt VVestphalorum in sublimiores de diuinis hypostasib⁹, de præsentia C H R I S T I in Eucharistia, de procreatione rerum è nihilo, alijsq; eiusdem generis locis esse venturum? aut omnes tam hebeti futuros ingenio, vt non sentirent, hæc sine accurata Philosophiæ cognitione, neque satis liquidò explicari, neque aduersus hostes Christiani nominis satis pro dignitate propugnari posse? Nam quòd eorum nonnulli respondent, Philosophiæ disciplinas ad liberalem quandam oblectationem animi percipi posse: vt in sacris rebus vllus eis sit locus, id verò minimè ferendum esse; hæc inquam oratio risum profectò prudentibus mouet. Quotidianæ enim inter eorum Theologos concertationes, turpissimis, ob rerum Philosophicarum ignorationem, hallucinationibus refertæ satis ostendunt, ebrijs hominibus eos esse perfimiles, qui cùm se per dementiam negent duce, vel adminiculo ad ingrediendum indigere, vbique tamen titubant, atq; offendunt. Quantò tandem abs te sapientius factum est, Princeps Illustrissime, cui cùm persuasum esset, illas quoq; à profanis licet hominibus excultas doctrinas, D E I ad nos munere peruenisse: C H R I S T V M, qui sit æterna veritas, ad illa quoque omnia, quæcumque illis rectè tradita sint, sua auctoritate comprobanda ad nos de cœlo delapsum: esse denique eas disciplinas ad res diuinas explanandas vberius, & validius muniendas perquam appositas; iccirco Academiam tuam, more maiorum, ijs omnibus artibus, quæ omnibus numeris absolutum Theologum,

E

decent,

[S. Augustin. ep. 3. ad Voluf]

decent, instructam esse voluisti? Ita enim retinetur admirabilis ille inter disciplinas concertus, atque consensus, ut cum alia sint diuiniore fidei lumine patefacta, atque à cœlo ascitata, alia natiuis ingenij viribus, & assiduo mortalium studio peruestigata, hæc illis pareant, atque ancillentur, & si qua in re lapsa fuerint, ab illis corrigantur: illæ verò earum cum præsijs ad compefcendos hostes, tum ornamentis ad sua illustranda, atque confirmanda vtantur.

CAPVT X.

De retinenda Academiæ inter se concordia.

NEque solum diuulsa sunt, atque distracta ipsa discipline illorum somniantium importunitate, & dementia, sed etiam, quod quidem malum multò latius patet, ipsa Academiæ, postquàm hoc nouum Euangelium ab inferis extitit, omnem funditus spem mutuæ concordia, & consensionis amiserunt. Atqui hæc fuit maioribus nostris præcipua Academiæ condendarum causa, ut veritas multorum sapientum studijs facilius reperiretur, & auctoritate certius muniretur. Sic enim homines sapientissimi iudicabant, cum in omni disceptatione, tum præcipuè, quæ de diuinis rebus instituitur, eruditorum hominum consentientes, conspirantesque sententias magni apud omnes ponderis esse oportere, præsertim si quod versatur in quæstione, diu fuerit antea magnis ingeniorum contentionibus agitatum. Id si in vno aliquo eruditorum hominum cœtu locum habet, quid incompluribus, non modò mœnibus, sed terra quoque marique disiectis? Iam verò ante Lutheri ab Ecclesia discessum,